

XXVI. Adventante congiarii die, observare principis egressum in publicum: insidere examina infantium, futurisque populus solebat. Labor parentibus erat ostentare parvulos: impositosque cervicibus adulantia verba blandasque voces edocere: reddebant illi, quae monebantur: ac plerique irritis precibus surdas principis aures adstrepebant: ignarique, quid rogassent, quid non impetrassent, donec plane scirent, differebantur. Tu ne rogari quidem sustinuisti; et quamquam laetissimum oculis tuis esset, conspectu Romanae sobolis impleri, omnes tamen, antequam te viderent adirentue, recipi, incidi jussisti, ut jam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur: crescerent de tuo, qui crescerent tibi, alimentisque tuis ad stipendia tua pervenirent, tantumque omnes uni tibi, quantum parentibus suis quisque deberet. Recte, Caesar, quod spem Romani nominis sumtibus tuis suscipis. Nullum est enim magno principe immortalitatemque merito, impendi genus dignius, quam quod erogatur in posteros. Locupletes ad tollendos liberos ingentia praemia, et pares poenae cohortantur: pauperibus educandi una ratio est bonus princeps. Illic fiducia sui procreatos nisi larga manu fovet, auget, amplectitur, occasum imperii, occasum reipublicae accelerat. Frustra princeps plebe neglecta, ut defectum corpore caput, nutaturumque instabili pondere tuetur. Facile est conjectare, quod percepis gaudium, quum te parentum, liberorum, senum, infantium, puerorum clamor exciperet. Haec prima parvulorum civium vox aures tuas imbuat, quibus tu daturus alimenta hoc maximum praestitisti, ne rogarent. Super omnia est tamen, quod talis es, ut sub te liberos tollere libeat et expediat.

XXVII. Nemo jam parens filio nisi fragilitatis humanae vices horret; nec inter insanabiles morbos principis ira numeratur. Magnum quidem est educandi incitamentum, tollere liberos in spem alimentorum, in spem congiariorum;